

CONCIO V. AUCTARII.

Vincentius, in sermone fer. II. post Lætare ex magistro histor. schol. Pompeium cum Julio Cæsare de imperio contendentem, semper victorem fuisse, donec veniens Jerosolymam Romanis subjectam, equos aliquot suos, cum stabula non sufficerent, collocavit in templi atrio; ab eo enim tempore semper succubuisse, nec imperatorem factum. Quid si scorta ibi collocasset? Ejecit Christus e templo etiam munda animalia, oves et boves ac columbas, ad immolandum destinata: quid si ibi reperisset immunda? Ejecit tamen et munda, quia et ipsa fimo et fetore suo templum conspurcabant. Quanto minus tolerasset, magisque ejecisset homines impudicos? At ticest istæ nundinae solum in atrio populi, adeoque extima parte templi fierent; nihilominus tamen ejectæ sunt. Quid si in atrio sacerdotum? Quid si in sancto? Quid si in Sancto sanctorum fuissent? Nos in Sancto sanctorum versamur: quis ibi immundus, quis equus aut mulus ibi apparere audeat?

VI. Mansio silentii, quia *templum a tuendo* dicitur, quod ex omni parte conspicatur, Habac. II. *Dominus in templo sancto suo, sileat a facie ejus omnis terra.* De quo audiamus Sanctum Chrysostomum, hom. XXXVI. in Corinth. I. epist. « Ibi (in templo) ne amicum quidem, in quem post longum tempus incidisti, compellare licet: sed foris ista fiunt, et recte quidem; neque enim tonstrina aut unguentaria taberna ecclesia est, aut officina forensis; sed locus angelorum, locus archangelorum, regia cœli, cœlum ipsum: » et iuera: « Silere, non potes, ait, exi igitur, ne alii obstes. Unam in ecclesia velut unius corporis esse vocem oportet: semper itaque qui prælegit, sequitur solus, et ipse qui episcopatum tenet sedet interim silens: et qui psallit, psallit solus, et qui verba populo facit, facit solus. Quod si multi multa et diversa inculcent, quid nos tumultuamur frustra? Certe enim nisi me de tantis rebus temere frustraque loquentem crederetis, nunquam de inutilibus frivilis vos hic tantum effutiretis: » et paulo supra: « Hera (domi tuæ) thronum occupat omni cum venustate, famulæ tacitæ, sedentes texunt, familiarum quisque quod imperatum est in manibus habet: hic vero magnus tumultus, magna confusio, etc. » Quæ causa est, cur Christus repertas in templo oves et boves flagello ejecit; columbas autem solum auferri jussit, non flagellavit? *Auferte ista hinc,* dixit ad eos, qui columbas vendebant: nimirum, quia columbae strepitum non faciunt, adeoque devotionem populi et sacerdotum non ita impediebant; at vero oves et boves continuo suo balatu et boatu multo maxime. In vita Sancti Brunonis

archiepiscopi Colon. scribit Rorgerus monachus Benedict. quod cum sanctus ille inter fratrem suum Henricum et Cunonem affinem nimiam videret colloquendi familiaritatem tempore missarum, præsago spiritu eis prædixerit: *O in quantum inimicitarum amaritudinem ista in hoc tempore tremendo male parta contubernia resolventur!* Eventus rei non multo post dictis fidem fecit: siquidem Cuno Hungar is se jungens, acerrimus Henrici et imperii hostis ac prædo factus est, apud Surium 11. oct. Denique, quid de hac re Sanctus Basilius, in Ps. XXVIII? « *Psalmus* dicit, ait: *In templo ejus omnes dicent gloriam;* tu autem non solum non dicis, sed alteri cuiquam impedimento es, eumque tibi uni reddis attentum, dum obstrepero tuo clamore obtundis et exuperas personantem Spiritus sancti doctrinam. Vide ne cum hinc emigraris, loco meritis recipienda pro divinis laudibus, una cum iis, qui nomen Dei execrantur et blasphemis vocibus incessunt, condemneris. »

Audistis quales sedes habeat in templo suo Christus et Pater ejus. Quare si ad mansiones aspiratis cœlestes, prius his insistite, quæ in templo terreno monstratae vobis sunt. Sic a templo viatorum itur ad templum beatorum.

CONCIO V.

BEATITUDO COELESTIS QUOMODO REGNUM, CIVITAS, DOMUS, CUBILE, PARADISUS.

I. Appellatur regnum variis de causis. — II. Appellatur civitas. — III. Appellatur domus. — IV. Appellatur cubile. — V. Appellatur paradise.

THEMA.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt.
Joan. XIV.

Cleobulus e sapientum numero unus, apud Plutarchum, in convivio septem sapientum: « Inepitis, inquit, fabulam narrabo, quam mater mea fratri objecit. Aiebat enim lunam a matre petuisse, ut sibi tuniculam congruentem texeret, ac matrem respondisse: Qua ratione id possim, cum te jam plenam, mox in cornua attenuatam rursum dimidio orbe videam? » Forsan a me etiam aliquis postulabit, ut cœlestis beatitudinis, qua electi perfruuntur, speciem depingam, adeoque ipsi vestem congruentem induam. Verum id mihi quoque perdifficile factu appareat. Ut enim luna modo magna et plena, modo mediocris et semiplena, modo minima et corniculata est; ita cœlestis beatitudo in sacris litteris modo asseritur

IN FESTO S. PHILIPPI ET JACOBI.

et appellatur regnum cœlorum, et quidem frequentissime: modo civitas, uti Apocal. XXI. modo domus, ut in hodierno evangelio: modo cubile, uti Psal. CXLIX. et Lucæ XI. modo paradi-sus, uti Luc. XXIII. et Apocal. II. Nunc ergo vasto, nunc mediocri, nunc angusto loco comparatur. Verum si hæc symbola exacte inspiciantur, omnia inter se optime convenient, et patebit beatitudinem omnibus his locis recte comparari, uti nunc videbimus.

I. *Reignum* appellatur variis de causis. Primo, quia est regio vastissima, plusquam cogitare posset homo, continens non solummodo centum viginti septem provincias, uti regnum Assueri, sed universum totum et quidquid in eo est, omnes cœlos et elementa; ipsumque insuper immensis spatiis excedens atque in se includens, quomodo universum ipsum includit intra se terram velut minimam sui portiunculam, quæ respectu cœlorum nonnisi punctum unum est. Quanta igitur hujus regni erit potentia! Quanta dñitiae! Quis hoc terræ punctum non contemnat præ tam vasto illo regno? Quis pro una domo, agro, oppido, velut exigua terræ gleba litiget, præsertim cum jactura regni cœlestis, si regni illius, omnibus sufficientissimi, vastitatem consideret?

Secundo, quia tantam inhabitantium multitudinem et varietatem conspectitur; quamquam nulla domus, civitas aut ducatus continere sola regna, eaque vastissima, confinere solent. Ibi enim multorum millium angelorum frequentia, variis choris et ordinibus distincta: quibus altera ex parte respondet turba innumerabilis sanctorum, ex omnibus gentibus, tribubus, populis, linguis, uti videt S. Joann. Apoc. VII. qui licet adeo diversi, nequaquam tamen, uti solent diversæ aliae nationes, animis aversi, sed conjunctissimi sunt, velut unius patris filii: bona sua invicem liberalissime communicantes, uti filii Job, alternis conviviis se matuo recreantes. Quanta hæc felicitas erit cum talibus ac tantis amicis perpetuo conversari! Si vel unus angelus, vel alius quidam sanctus de celo ad nos descendaret, quis ad eum non accurreret, ut aspectu et colloquio ejus frui vel ad horam posset? Unus sol lætitificat universam terram: quid facient in celo soles innumerabiles?

Tertio, quia formam regnandi perfectissimam habet, ab uno summo et potentissimo rege dependentem, cui nemo resistere vult aut potest, sed omnes ad nutum parent, et volunt quod ipse vult. Ipse sua potentia omnia sibi subjicit: sui solius sapientia omnia gubernat: suis dñitiae omnes locupletat: *Quis enim consiliarius ejus fuit, aut quis prior dedit ei?* ad Rom. XI. Sub hoc igi-

tur rege omnes electi quietissimi, securissimi, ditissimi, contentissimi sunt.

Quarto, quia omnes beati in cœlo reges sunt, Christo regum Regi subordinati; nec quales sunt terreni reges, qui habent quidem potestatem in subditos, sed ab illorum viribus et voluntate dependentem; uti et a satellitio, armis, muris et munitionibus: habent honorem, sed fere in præsentia tantum, cum absentes sèpissime lacerentur conviciis et maledictis: habent dñitias, sed egestati mixtas, ærique alieno obnoxias, quam qui maxime; ad hæc a subditis expressaset quasi emendatas, citoque deficiente, si vel unum exercitum sustinere velint: habent delicias, sed innumeris curis, laboribus, suspicionibus, moles-tiis, morbis permixtas. Non, inquam, tales sunt reges cœlestes: quia habent potestatem sine infirmitate, honorem sine ignominia, dñitias sine indigentia, delicias sine molestia ac dolore. Potuit unus angelus uno impetu interficere 455. millia Assyriorum, IV. Reg. XIX. potuit unus Jacobus major innumerabilem Maurorum exercitum sternere et fugare. Quid de honore ipsorum dicam? Nonne mundi imperatores genua ipsi curvant et vel ad piscatoris Petri pedes sepulcra sibi fieri ambitione curant? Quid de opibus et deliciis, qui, hæredes Dei et cohæredes Christi, torrente voluptatis potentur?

II. Appellatur *civitas*, non una etiam ratione. Primo, ob ejus pulchritudinem et speciositatem toto cœlo diffusam. Etenim regnum quidem amplitudinem habet, sed ubique pulchritudinem non habet: multa enim in eo loca squalida et deserta, solis bestiis pervia, montes inculti, rupeis inaccessæ et silvæ horridæ. In civitatibus autem præsertim celebrioribus visuntur tempora ornatissima, turre speciosæ, palatia superba, portæ augustæ; horti amoenissimi, fora spatiose, columnæ, pyramides, theatra, officinæ omnium rerum, et plateæ frequentissimæ. Quæ Germania pulchritudō foret, si tota ad instar illius Romæ antiquæ foret? Talis autem est civitas illa cœlestis; nihil uspiam asperi, nihil horridi, nihil inculti aut inaccessi habet, sed tota adeo ornata est et fulgida, ac si una civitas superbissima ac florentissima foret; quam proinde prædicat propheta, Ps. LXXXVI. *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei, et Tobias, cap. XIII. Portæ Jerusalem ex sapphîro et smaragdo adficiabuntur, et ex lapide pretioso omnis circuitus murorum ejus: ex lapide candido et mundo omnes plateæ ejus sternentur: et Joannes, Apoc. XXI. Erit structura muri ejus ex lapide jaspide: ipsa vero civitas aurum mundum, simile vitro mundo: et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata: et singulæ portæ*

erant ex singulis margaritis: et platea civitatis aurum mundum, q. d. sicut aurum et gemmæ superant lutum, ita civitas cœlestis superat omnes terrestres.

Secundo, ob mutuam concordiam, notitiam, et bonorum communicationem, que cernitur in civitate, non item in regno, ubi varii mores sunt et lingue: multi multos nunquam viderunt, multo minus amicitiam inter se contraxerunt. Beati ergo omnes quasi cives unius civitatis sunt, seu ut apostolus ait ad Ephes. II. *Cives sanctorum;* quia iisdem legibus vivunt, ejusdem linguae et morum sunt, mutua notitia et amicitia sibi deviæt, bona sua aliis non in foro vœnalia propinquentes, sed gratis communicantes. Nullus etiam ibi metus ab externis hostibus, quia civitas suos muros sua propugnacula, suos vigiles habet. Nulla ibi bella, nullæ deprædationes, nullæ invidentiae, persecutions nullæ. Quis ad eam civitatem non toto pectore anhelet? In hoc mundo nihil horum: aut enim plus esse voles, persecutionem impiorum sustinebis; aut impius, et iram Dei inevitabilem timebis.

Tertio, ob incolarum civilitatem. In regno pluri sunt rustici, moribus agrestibus, rudes, inurbani, barbari, inculti, indomiti: non ita in civitate, ubi omnes, cultorem habent linguam, vestitum, mores, rerum peritiam, affabilitatem. Idem videre erit in cibis cœli.

Quarto, ob eorumdem libertatem, qua etiam gaudere solent cives, non gaudent ruricole. Sunt autem cœli cives liberi in primis a servitute peccati, ita ut peccare omnimo nequeant: deinde, a servitute mortis, cui subjacere non possunt amplius: rursum, a servitute corporis, cui hic subjecti sumus; ut comedere, bibere, dormire, valitudinem curare, laborare, ambulare, frigere, astutare, sudare, dolere, et constrictari sæpius cogamur, quo vitam conservamus seu nostram seu nostrorum: *Fodere non valeo, ait villicus iniquitatis, mendicare erubesco;* ad fraudes ergo se convertit, Luc. XVI. Nihil horum ibi urget. Denique, a legibus et præceptis: quia nullis indigent, cum per se ultro faciant quæ recta sunt: nee deviare possunt, adeoque nullas legis pœnas incurvare. Hinc liberi sunt ab omni sollicitudine: cum e. contra servi peccati, et in præsenti gravi ejus jugo premantur et in futuro pœnas daturi sint.

III. Appellatur *domus* in hodierno evangelio et in Psal. CXXI. *In domum Domini ibimus;* idque plures etiam ob causas. Primo, quia omnes beati sunt domestici et familiares Dei. In regno et civitate plurimi sunt, qui regem suum unquam vident, adeoque nec noverunt; multo minus ipsi familiares sunt. Ne igitur hoc de beatis cogitari

osset, regio illorum non precise regnum anticipitas, sed domus etiam appellata est, in qua omnes domèstici quotidie vident herum suum, cum que eo conversantur magna familiaritate: quod in specie de angelis Dominus testatur, Matth. XVIII. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei:* et de sanctis aliis testatur apostolus ad Eph. II. cum non solum *cives sanctorum*, sed etiam Dei domesticos eos appellat. Nec qualescumque domestici sunt, sed filii et hæredes eadem cum Patre suo mensa fruentes, iisdem bonis gaudentes; nec timore, sed amore ei adhærentes.

Secundo, quia cum summa pace et concordia simul conversantur; quod non sit in civitate, multo minus in regno integro; ubi multæ rixæ et jurgia sunt, quæ in domo non tolerantur. Tametsi ergo in cœlo maxima sit diversitas nationum, statuum, conditionum; summa tamen interim unio animorum, pax et tranquillitas est. In quorundam principum primis ædibus autem vestibulis tabula affigi solet, in qua cernitur brachium securi superposita; quasi pictam manum illico resectura. Indicatur eo signo, nihil ibi tumultus aut rixarum esse tentandum, ubi princeps degit, sub pœna abscissionis manus. Hoc in aulis necessarium, in cœlo opus non est, ubi nullus turbulentus, nullus inquietus est. Unde Joannes, Apocal. ult. domo illa loquens exclamat: *Foris canes et benefici et impudici et homicidae.* Vicissim propheta Psal. CXXXII. de beatorum pace: *Ecce quam bonum et quam jucundum, inquit, habitat fratres in unum!*

Tertio, quia ut in domo diversa quidem sunt habitacula, pulchriora et minus pulchra, quemadmodum et officia ac ministeria; alia filiorum, alia cubiculariorum, alia eorum, qui stabulis deserviunt; proinde etiam diversa stipendia et diversæ mense: alii præ reliquis sæpius et familiarius cum domino versantur; nec tamen inter eos oritur invidentia; sed quisquis in suo ordine, sua mensa, suo salario, suo habitaculo contentus est; ae siquidem stabularius juberetur permanere in cancellaria, minime acquiesceret, sed optaret potius hærere in suo stabulo: rursum si medias-tinæ servis apponenter cibi filiorum, verbi gratia, ostrea, cancri et similes delicatæ epulæ; viiores potius cibos, quorum sunt assueti, ipsi præeligerent: pari modo beati, tametsi præmia accidentalia multum habent disparia, unus in Deo plura videt quam alius, plures et peculiares aureolas possidet; non tamen inter eos propterea similitas vel aliqua invidentia est. Sic in domo Salomonis maxima fuit ministrorum diversitas, cum maximo ordine et coherentia.

IV. Appellatur *cubile*, Luc. XI. *Jam pueri mer-*

mecum sunt in cubili, et Psal. CXLIX. *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* Et hoc primo, propter omnimodam beatorum requiem, qua sine omni dolore, tedium, tristitia, cura perfruuntur; quasi post labores suavissimo in leeto conquiererent ac dormirent, juxta id Apoc. XIV. *Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Anodo jam dicit Spiritus ut requiescant a laboribus suis.* Hoe ostensum S. Evergisto archiepiscopo Colaniensi, cui, cum dolore capitis correptus, ecclesiam Thebaeorum martyrum oraturs intraret, inchoareque hunc versiculum: *Exultabunt sancti in gloria, martyres respondent: Lætabuntur in cubilibus suis.* Itaque sacerdos eorum cineres tangens, liberatus est a dolore, Helinand. in vita S. Geronis. Ostensum aliis devotis, quorum aliis videt lectum in cœlo fulgidum ac delicatum S. Francisco, aliis alios similes S. Anselmo et S. Hugoni Cluniac. preparatos, ut in eorum vita.

Secundo, ob eorum immensa bona, delicias et opes: thesauri enim et cimelia in camera seu cubili asservari solent. Qualia autem in cœlo et quanta ea sint, ita colligit S. August. soliloq. c. XXI. « Si mi Domine, pro hoc corpore ignobili et corporali tam magna et innumera beneficia præstas a cœlo et aere, a terra et mari, etc. qualia quæso et quam magna et innumerabilia erunt illa bona, quæ præparasti diligentibus te, in illa cœlesti patria ubi te videbimus facie ad faciem? Si tanta facis nobis in carcere, quid ages in palatio? Si tanta solatia in hac die lacrymarum, quanta conferes in die nuptiarum? » Nimirum ut thesauri et ornamenta vestiumque apparatus in cubilibus sunt inclusa et abscondita; ita et beatorum gaudia nos hic latent; quia: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Id ipsum quidam apud S. Hugonem Victorinum, serm. LXXXIII. de instit. mon. his versibus expressit:

Quantum tui gratulentur, quam festi conviventur. Quis affectus eos stringat, aut quæ gemma muros cingat,

Chalcedon an hyacinthus, norunt illi qui sunt intus.

Tertio, ob eorum securitatem. Solent enim cubilia diligentissime claudi, et quandoque satellitio stipari, uti lectulus Salomonis. Beati ergo in sua quiete securi et imperturbati sunt, quia de æterna ejus possessione certi. Id indicant verba illa parabolæ citatæ: *Jam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili.* Clasum, inquam, et fortissimis seris communitum, ut nemo malo-

rum intrare, nemo electorum exire possit. Quo etiam spectat id Psalmi CXLVII. *Lauda Jerusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion:* quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedix filii tuis in te. Nulla im mundo munitione tam fortis et occulta, que non auro vel ferro aperiri ac perrumpi possit: nulla tanta felicitas; quæ non brevi finiatur. Sola arx cœlestis finem nescit, nec hostem et tormenta metuit. Quanta hæc beatorum felicitas, numquam posse infelicem esse!

V. Appellatur etiam subinde *paradisus*, uti Luc. XXIII. a Domino: *Hodie mecum eris in paradi-so;* et Ezecl. XXVIII. *In deliciis paradi-si Dei fuisti;* et alibi. Primo, propter lignum vitæ, quod incolis paradi-si vitam et vires corporis semper conservasset. Id vero in cœlo est Christus, qui beatorum mentes sua divinitate, corpora sua humanitate pascit, roborat, conservat. De quo Apocal. II. dicitur: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod est in paradi-so Dei mei,* et c. XXII. *In medio plateæ ejus (Jerosolymæ cœlestis) ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum.* Beda, Rupertus, Ansbertus et Ribera Christum gloriosum hoc ligno vitæ descripsi asserunt, qui in medio beatorum constitutus, sui visione et fruitione dat illis vitam immortalem ex utraque parte fluminis, hæc corporis et animæ. Ad hæc duodecim fert fructus per menses singulos, quia novas semper ac recentes voluptates et gaudia illis affert, ita ut sine ullo fastidio nova semper aviditate satientur et satietate famescant.

Secundo, propter omnis generis delicias, quæcumque desiderari possint. Vox enim *paradisus* in proverbium abiit, significans hortum, in quo omnia sensuum oblectamenta reperiantur, qualiter describit S. Basilius, in hom. de paradi-so, fuisse paradi-sum illum a Deo conditum, ubi nullæ tempestates erant, injuriaæ sed perpetua amoenitas: flores, arbores, fructus omnivarii nunquam decidui: aquæ irriguæ, limpidissimæ et murmurantes rivi: florulenta prata, jucundissima spectacula: avicularum omnigena genera, quæ nativa musica miram dabant recreationem, ita ut per omnes sensus mire afficerent hominem alia visu, alia auditu, alia tactu, quædam olfactu, aliqua gustu. Denique, ex ea paradi-si specie consurgere nos jubet in considerationem cœlestis paradi-si, tanto pulchrioris, quanto spiritualia præstant corporalibus. *Conare ergo, subdit, per hujusmodi dogmata paradi-si acquirere intellectum, ut assequaris divinæ lucis auroram, in qua lux scientiæ oritur, ut intelligas, quomodo plantatus sit paradi-sus deliciarum, etc.* Assecutus est inter alios hanc lucem B. Ægidius S. Francisci alumnus,

qui quoties audiebat aliquid de gloria cœlestis vel paradisi amœnitate, toties rapiebatur in extasi, hærebatque eodem loco immotus: *Itaque pueri et opiliones ab aliis docti, cum eum viderent, clamabant: Paradisus. Id vero ille audiens, mox sursum rapiebatur. Quam ob causam fratres cum illo collocuturi, cavebant ne paradi mentionem facerent, veritatem ejus colloquio privarentur.* Ita auctor vitæ, apud Sur. 23. apr. cap. XIX. Quem utinam nos imitemur, auditores, ita saltem, ut cum audimus mentionem regni cœlorum vel civitatis Dei, vel domus Domini, vel cubilium celestium, vel denique paradisi, toties in Deum et desiderium patriæ nostræ mente saltem raperemur, et

ad eam inquirendam omni conatu excitaremur! Sane Philippus Macedonum rex, cum ei Demades legatus Atheniensium in mensa depinxisset, rudi penicillo Athenarum pulchritudinem, mox urbis potius inflammatus desiderio, dixit: *Ut urbs hæc mea sit, ferro vel auro efficiam,* Diodor. I. XVI. Potuit hunc regem rudis Athenarum delineatio incitare ad eam expugnandam seu auro seu ferro: faxit Deus etiam, ut hæc rudis cœli descriptio inflammet animos nostros ad comparandam nobis civitatem illam, regnum et domum Dei, seu auro eleemosynæ, seu ferro martyrii, aut mortificationis, seu quocumque tandem alio modo.

IN FESTO INVENTIONIS S. CRUCIS.

EVANGELIUM. JOANN. III.

In illo tempore, erat homo ex Pharisæis Nicodemus nomine, princeps Judæorum. Hic venit ad Jesum nocte, et dixit ei: Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister. Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Respondit Jesus, et dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo renasci, cum sit senex? Numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, et renasci? Respondit Jesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: et quod natum ex Spiritu, spiritus est. Non mireris quia dixi tibi: Oportet vos nasci denuo. Spiritus ubi vult, spirat, et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat. Sic est omnis qui natus est ex Spiritu. Respondit Nicodemus et dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Jesus et dixit ei: Tu es magister in Israel, et hæc ignoras? Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur: et quod vidi mus, testamur: et testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi vobis, et non creditis, quomodo, si dixerim vobis cœlestia, credetis? Et nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo. Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam.

CONCIONES.

- I. De artificiosa inventione s. crucis.
- II. Sanctæ crucis gloria et triumphus.
- III. Beneficia seu effectus s. crucis.
- IV. Fructus signi crucis, quo nos consignamus.
- V. Ad crucem tribulationis portandam quæ invitent.
- VI. Quomodo crux ferenda.
- VII. Quatuor dimensiones s. crucis, seu virtutes primariae crucifixi.
- VIII. Mysteria evangelii.

AUCTARII CONCIONES.

- I. Magna bona in c...
- II. Crucem cur præferamus in processionibus, aliisque actionibus præmittamus.

CONCIO I.

ARTIFICIOSA INVENTIONE S. CRUCIS.

- I. S. crux rubus opticus. — II. Arcus nautica. — III. Vitrum. — IV. Aucupii genus per avem ligneam. — V. Elephantus ligneus. — VI. Virgo ethamus piscatorius.

THEMA.

Notas facile in populis ad inventiones ejus. Isa. XII.

Cum quis novum et artificiosum quid excogitavit, dicere solemus: *Hæc est pulchra inventio.* Ita de horologis, bombardis, typographia et sexcentis aliis loquimur. Merito etiam hoc dixe-

rim de s. crucis inventione, non tam de felici ea quæ contigit S. Helenæ, quam mirabilis illa quæ in consilio Sanctissimæ Trinitatis Christo Domino ab æterno destinata et decreta crux est, pra omnibus aliis mortis generibus. « Innumerabiles erant moriendi rationes (inquit D. Greg. Nyss. orat. I. in Christi resurrectionem), quibus mortis pro nobis obeundæ consiliis expleri poterat, hanc tamen ex omnibus unam is, qui mortis quam vellet optionem habebat, sibi delegit atque præscripsit. Oportet enim Filium hominis, inquit, etc. » Poterat sibi Dominus eligere mortem placatam, quemadmodum Seneca jussus a Nerone eligere sibi mortis genus, elegit sibi venarum in-